DE METHODIS HOROLOGIA SOLARIA PROMTE DELINEANDI.

Auctore
Georg. Wolffg. Krafft.

§. 1.

Cum non acuendis ſolum ingeniis, ſed vtilitati etiam et commoditati in vita humana, inſeruire et fauere debeat Matheſis: nullum dubium eſt, quin egregias laudes promereantur illi Artifices, qui, alteri horum ſcoporum praecipue intenti, ſolerter excogitant et fabricant eiusmodi Inſtrumenta, quibus contemplationes Mathematicorum fructuoſas reddere, ſimulque ad vſus communes et quotidianos vocare, facile licet. Eminent inter haec varia linearum, partibus vſui quaeque ſuo, diſtinctarum genera, quae in Regulis metallicis expreſſae Problemata totius Matheſeos maxime obuia, atque adeo etiam *Artis Gnomonicae*, promte et commode reſoluta ita porrigunt quaſi, vt ab imperitis etiam recipi et ad conuenientes vſus trahi tuto poſſint.

§. 2. In hunc finem *Angli* Inſtrumentorum Mathematicorum fabricatores, ingenio pariter et induſtria mirum pollentes, inſculpere Regulis ſolent lineas quoque Gnomonicas, quae certe Horologiis ſolaribus concienne et promte deſcribendis ſunt aptiſſimae; cum alias hic requiratur labor, vti notum eſt, non mediocris, et qui patientiam multum exercent. Harum linearum praecipuae ſunt